

sione, Oratio SS. Sacramenti; dein sub altera conclusione dicitur Commemoratio diei Octavæ S. Joannis Baptistæ. *Credo.* *Præfatio* Apostolorum.

Si et alia Missa cantatur ad Altare Expositionis, tunc Commemoratio SS. Sacramenti jungitur, sub altera conclusione, Orationi diei Octavæ S. Joannis Baptistæ. In omnibus Missis lectis, etiam ad Altare Expositionis, omitti debet Commemoratio SS. Sacramenti. (Cfr. Q. 93.)

3º 15 Februarii, Feria 4 Cinerum. De ea. In Missa 2 Oratio SS. Septem Fundatorum Ordinis Servorum B. M. V. (duplicis simplificati), 3 Oratio SS. Martyrum Faustini et Jovitæ (simplicis).

SOLUTIO: Cantantur Missa solemnis de Feria 4 Cinerum. Color paramentorum Altaris est albus, Celebrantis et Ministrorum violaceus. Omnia cantatur in tono simplici et feriali simplici.

Non dicitur *Gloria*. Orationi Feriæ additur, sub una conclusione, Oratio SS. Sacramenti. Omittuntur duæ Commemoratioes speciales. Non dicitur *Credo*. *Præfatio* Quadragesimæ. In fine, dicta Postcommunione Feriæ et SS. Sacramenti, sub altera conclusione additur Oratio super populum, ut præscribitur supra in responso, II, B.

In omnibus aliis Missis dicitur Commemoratio SS. Sacramenti quarto loco, post Orationem SS. Martyrum Faustini et Jovitæ.

4º 12 Januarii, Feria 5. De 6 die infra Octavam Epiphaniæ. Semiduplex. In Missa 2 Oratio *Deus, qui salutis*, 3 *Ecclesiæ*, vel pro Papa.

SOLUTIO: Missa solemnis cantatur de die infra Octavam Epiphaniæ. Orationi Missæ additur, sub una conclusione, Oratio SS. Sacramenti. Omittuntur 2 et 3 Orationes. *Præfatio* Epiphaniæ.

In omnibus aliis Missis dicitur Commemoratio SS. Sacramenti quarto loco, post Orationem *Ecclesiæ*, vel pro Papa.

4º bis. 6 Junii, Feria 3 infra Octavam SS. Corporis Christi. Festum S. Norberti, Episcopi et Confessoris. Duplex. In Missa fit Commemoratio Octavæ.

SOLUTIO: Missa una solemnis cantatur ut in Feste SS. Corporis Christi (non Votiva SS. Sacramenti in fine Missalis). Dicitur unica Oratio SS. Sacramenti. Dici quoque debet sequentia *Lauda Sion*.

Omnis aliae Missæ dicuntur ut in Directorio propositum est.

II. — C. — 9 Julii, Dominica VII post Pentecosten. Festum S. Liberti, Martyris. Duplex 2 classis. In Missa fit Commemoratio SS. Martyrum Gorcomiensium (duplicis simplificati, Officii Diocesani), et Dominicæ. *Præfatio* SS. Trinitatis. In fine dicitur Evangelium Dominicæ.

SOLUTIO: Cantatur Missa solemnis de Feste S. Liberti. Color paramentorum Altaris est albus, Celebrantis et Ministrorum rubeus. Orationi S. Liberti additur, sub una conclusione, Oratio SS. Sacramenti; deinde sub altera conclusione dicitur Oratio Dominicæ. Omititur Commemoratio SS. Martyrum. *Præfatio* SS. Trinitatis. In fine dicitur Evangelium Dominicæ.

In hac Missa quidem Commemoratio et ultimum Evangelium

Dominicæ præscribuntur, quia est Missa conformis Officio, in qua occurrentis Dominicæ semper, etiam in Feste duplice 1 vel 2 classis, fit Commemoratio. Non autem præscripta fuit Commemoratio et ultimum Evangelium Dominicæ in exemplo, Quæstione præcedenti 280, pro 22 Januarii posito, quia in illo casu celebratur Missa Votiva de SS. Sacramento, in qua, cum sit Missa Votiva quasi solemnis, occurrentis Dominicæ non fit Commemoratio, neque legitur in fine Evangelium.

Occasione hujus exempli sequens etiam proponitur :

20 Martii, Feria II post Dominicam de Passione. Festum S. Joseph. Duplex 1 classis. In Missa dicitur Commemoratio Feriæ. *Credo.* *Præfatio* de Cruce. In fine dicitur Evangelium Feriæ.

SOLUTIO: Cantatur Missa solemnis de S. Joseph. Orationi S. Joseph additur, sub una conclusione, Oratio SS. Sacramenti; dein, sub distincta conclusione, fit Commemoratio Feriæ. *Credo.* *Præfatio* de Cruce. In fine dicitur Evangelium Feriæ.

Qui stricto litteram supracitati Decreti 18 Maii 1883 esse servandam censeret, forsan de Commemoratione Feriæ ejusque Evangelio legendō in fine, dubium proponere posset; etenim in Decreto solūmodo pro Dominicā in Feste duplice 1 vel 2 classis occurrente ponitur exceptio; si S. Rituum Congregatio eamdem solutionem desiderasset pro Feria majori, utique non solum Dominicæ, sed et hujusmodi Feriæ mentionem fecisset; quod cum non fecerit, Commemoratio et ultimum Evangelium Feriæ majoris omitenda esse videntur. Verumtamen magis placuit, ea quæ de Dominicā fuere statuta, applicare Feriæ majori Quadragesimæ de qua in casu, cum utriusque conditiones hic non perperam existimari possint eadem.—Eadem animadversio valet pro Commemoratione diei Octavæ S. Joannis Baptistæ in Feste S. Rumoldi, ad exemplum secundum supra propositum.

NOTA. II. In Tractatu de Administratione Sacramentorum (Q. 187), ex Instructione data in Directorio Diocesano anni 1864, describitur quomodo sit agendum, casu quo Adoratio perpetua incidat in varios dies anni, in quibus Officia divina et Missæ speciales ritus habent, nempe pro Feste Purificationis B. M. V., pro Feria IV Cinerum, pro Dominicā Palmarum, pro triduo sacro Majoris Hebdomadæ, pro Feste S. Marci et diebus Rogationum, pro Commemoratione omnium Fidelium Defunctorum.

IV. De Missa Aurea.

Q. 282. Quæ Missa dicitur Aurea, et unde nomen habet?

R. I. Missa Aurea dicitur illa quæ, ex immemorabili

consuetudine et cum maximo populi concursu, in variis regionibus cantatur Feria IV Quatuor Temporum Adventus, summo mane, in honorem B. Mariæ Virginis, et in memoriam Incarnationis Domini.

II. Nomen habere videtur : 1º ab extraordinaria magnificentia et pompa, quacum olim celebrabatur ; etenim pretiosissima adhibebantur in hac Missa paramenta, sicuti in majoribus Festis ; lumen copia quoque lucebat, non tantum in coronis et ad Altare, sed et omnes fideles præsentes suum afferebant et accensum tenebant cereum ; quod et hodie in Germaniæ partibus quibusdam servatur.

2º Ab excellentia Mysterii in hac Missa commemorati, in qua canitur Evangelium *Missus est Angelus*, referens circumstantias Mysterii Incarnationis Dominicæ. Sicut medio ævo, ratione momenti seu excellentiæ Mysteriorum quæ celebraabantur, Litaniæ Passionis Domini vocabantur *Litaniæ aureæ*, et Legendæ seu Vitæ Sanctorum dicebantur *Legenda aurea*, ita potuit quoque vocari hæc Missa *aurea*.

Cantatur summo mane, quia antiquitus, in Cathedralibus et Abbatialibus Ecclesiis, Missa hæc celebrabatur terminato Matutino, post ultimam Lectionem Homiliæ, sive cujusdam S. Patris, sive etiam Abbatis (unde habemus quatuor celeberrimos Sermones Sancti Bernardi : *Super Missus est*), et Hymnum *Te Deum*. Concursus populi maximus forsitan in eo originem habet, quod in pluribus regionibus, in hac Missa, scenica dabatur repræsentatio Evangelii Annuntiationis, a tribus decantati, nempe a Diacono Missæ et a duobus juvenibus, quorum alter B. Mariæ V., alter Angeli Gabrielis personam gerebat. (Cfr. *Le Beffroi*, Tome I. Bruges, 1863, p. 165.)

NOTA. I. In quibusdam regionibus, nempe in Polonia, in Bohemia, in nonnullis Dioecesis Germaniæ, consuetudo existit, a S. Sede approbata, celebrandi cum cantu Missam Votivam de B. Maria V. *Rorate*, ad auroram per integrum tempus Sacri Adventus, usque ad 23 Decembris. Alibi celebratur hæc Missa solemniter per Novendiale ante Festum Nativitatis Domini.

Nota. II. Hæc Missa non est adnumeranda Missis

Votivis pro re gravi et pro publica causa celebratis ; sed dumtaxat haberi potest ut mera populi devotio. (Decret. S. Rituum Congregationis, 29 Januarii 1752, n. 2417. ad 5, antiqu. 4223, ad 6.)

Q. 283. Quæ Missa sumitur pro hac Missa Aurea ?

R. Pro Missa Aurea sumitur Missa Votiva de B. Maria, in Adventu, quæ incipit : *Rorate*. Dici potest hæc Missa, etiamsi occurrat Festum duplex 2 classis. Si in Feriam IV Quatuor Temporum incidit Festum Exspectationis partus B. Mariæ V. (quod ex speciali concesione in nostra Dioecesi celebratur 13 Decembris), aut dies septima aut Octava Immaculatae Conceptionis (14 aut 15 Decembris), aut aliud Festum ejusdem B. Mariæ V., cantari debet Missa de Festo aut de Octava, non vero Votiva supra indicata.

Q. 284. Quomodo ordinatur hæc Missa Aurea ?

R. Dicitur *Gloria* ; — pro Orationibus notandum est quod, si alia Missa conventionalis non cantetur, sub distincta conclusione fiat Commemoratio Festi duplicitis, aut semiduplicis occurrentis, et Feriæ ; non autem diei infra Octavam, neque Simplicis, aut Vigiliae ; ideo etiam omitti debere videtur Oratio imperata ; — dicitur *Credo* ; — Præfatio cantatur de Beata : *Et Te in veneratione* ; — dicitur *Ite missa est*, et ultimum Evangelium S. Joannis : *In principio*.

V. De Missa Votiva in Anniversario Electionis, vel Translationis, vel Consecrationis Episcopi.

NOTA. De institutione Commemorationis quotannis faciendæ Anniversarii, tum Creationis et Coronationis Summi Pontificis, tum Electionis, vel Translationis, et Consecrationis Episcopi Ordinarii in sua Dioecesi, dictum fuit QQ. 97 ad 102. Ibidem etiam traditæ fuerunt regulæ pro Oratione Votiva late dicta, dicenda in his diebus Anniversariis, in omnibus Missis, ab universo clero totius Orbis Catholici pro Summo Pontifice, et ab universo clero Dioecesis pro Episcopo Ordinario.

Hic agitur de Missa solemini in diebus Anniversariis Episcopi celebranda.

Q. 285. Ubi, et a quibus celebranda est Missa Votiva de

268 (Q. 286) De Anniversario Electionis Episcopi
Anniversario Electionis, vel Translationis, vel Consecratio-
nis Episcopi Ordinarii?

R. I. Hæc Missa Votiva quotannis, die mensis quo accidit Electio, vel Translatio, vel Consecratio Episcopi, celebranda est in Ecclesia Cathedrali, et quidem præceptive, accedente mandato Episcopi. (Decret. S. Rituum Congregationis, 14 Augusti 1858, n. 3078, antiq. n. 5274, ad 1.)

Solummodo in hac Ecclesia Cathedrali celebrari potest hujusmodi Missa, non autem in aliis Ecclesiis Diœcesis; et nequidem tamquam Votiva privata, diebus quibus Missæ Votivæ privatæ permetterentur, potest hæc Missa celebrari, quum ipsa non sit Votivis accensenda nisi in sensu latiori. (Decreta 12 Septembbris 1840, n. 2823, antiq. n. 4911, ad 2; et 27 Aprilis 1894, n. 3824, ad 3.)

II. Hæc Missa, juxta Cæremoniale Episcoporum (Lib. II, Cap. XXXV, n. 1), celebratur solemniter, vel per ipsum Episcopum, vel, eo non celebrante, per aliquam Capituli dignitatem, seu Canonicum; iste determinatur juxta statuta, vel consuetudinem Ecclesiae Cathedralis.

Q. 286. Quæ Missa celebratur pro hujusmodi Anniversario, et quomodo?

R. I. Pro Missa hujus Anniversarii sumitur Missa propria, quæ ponitur secundo loco inter Missas Votivas pro diversis rebus, in quinta Missalis parte (cfr. Q. 37), sub titulo: *In Anniversario Electionis, seu Consecrationis Episcopi.*

II. Celebratur hæc Missa post Nonam et Missam Conventualem; et notatur quod in Missa Conventuali, aut in Missis Conventualibus si plures sint, non fit hujus Anniversarii Commemoratio, quæ in aliis Missis hujus diei per Diœcesim fieri debet (cfr. QQ. 99, 101).

Celebratur in colore albo; — in ea dicitur Hymnus *Gloria in excelsis*, et Symbolum *Credo*; — unica tantum dicitur Oratio, pro Episcopo, videlicet: *Deus, omnium fidelium pastor et rector, etc.* (cfr. Q. 99); et si Episcopus ipse celebrat, dicit: *me indignum famulum tuum, quem huic Ecclesia præesse voluisti, etc.* — Præfatio dicitur, vel

De Anniversario Electionis Episcopi (Q. 287, 288) 269
de Octava, vel de Tempore, vel communis (cfr. Q. 159); — in fine dicitur Evangelium S. Joannis: *In principio, etc.*

Q. 287. Quibus diebus non permittitur Missa propria hujus Anniversarii? Quid tunc faciendum est?

R. I. Hæc Missa Votiva celebrari non potest diebus Dominicis, neque in Festis duplicibus 1 et 2 classis; neque iis diebus quibus hujusmodi Festa excluduntur, ut sunt Feriæ privilegiatae; Vigiliæ Nativitatis Domini et Pentecostes; Octavæ Epiphaniæ, Paschatis et Pentecostes: dies Octavæ Nativitatis Domini, et SS. Corporis Christi. (Decret. 18 Maii 1883, n. 3575, antiq. 5872, ad 4 et 6.)

II. His diebus cantatur tantum Missa Conventualis, ut consueto, de die vel de Festo; cum paramentis coloris Missæ convenientis; cum *Gloria*, et *Credo*, vel sine illis, prout Missa exigit; et cum Orationibus in his Missis præscriptis. In Festis duplicibus 1 classis nulla fit Anniversarii Commemoratio; sed in Festis duplicitibus 2 classis, aliisque diebus, principali Orationi Missæ additur, sub unica conclusione, *Oratio pro Episcopo.* (Decreta 18 Maii 1883, n. 3575, antiq. 5872, ad 5; et 27 Aprilis 1894, n. 3824, ad 4.)

Q. 288. An Missa hujus Anniversarii non potest transferri?

R. Quando Anniversarium impeditur accidentaliter aliquo Festo duplice 1 classis mobili, ex. gr., eo quod incidat in Triduo Sacro Majoris Hebdomadæ, in Festis Paschæ et Pentecostes, ac duobus diebus sequentibus, Ascensionis, SS. Corporis Christi, etc.; tunc Missa Anniversarii non potest anticipari, nec transferri, sed debet omitti. — Attamen, si Anniversarium quotannis impediretur, et perpetuo, per aliquod Festum duplex 1 classis quod diei affixum est, ex. gr., si Episcopus fuisset consecratus 24 Junii, in Festo S. Joannis Baptiste, in tali casu non est omittendum, sed reponendum (Decret. 12 Decembbris 1891, n. 3762, ad 1 et 2); et transfertur in primam sequentem diem non impeditam; quia secus, perpetuo impeditum, semper et quotannis omitteretur. (Decret. 30 Augusti 1892, n. 3793, ad 2.)

270 (Q. 289, 290) De Solemnitate S. Joannis Berchmans

— Idem notatum fuit de Commemoratione Anniversarii per Diœcesim facienda. Q. 100, in Nota.

**VI. De Solemnitate quæ institui potest in honorem
Sancti Joannis Berchmans.**

Q. 289. Quodnam Indultum concessum fuit nostræ Diœcensi, ad instituendam Solemnitatem in honorem Sancti Joannis Berchmans?

R. « Emus et Rmus Dominus Cardinalis Engelbertus Sterckx, Archiepiscopus Mechlinien. exponens in Archidiœcesi sua Festum Beati Joannis Berchmans Idibus Augusti celebrari haud posse ea, qua par est, solemnitate, præsertim in numerosis institutis catholicæ juventutis educationi addictis, a Sanctissimo Domino nostro Pio Papa IX supplicibus votis postulavit, ut Festum istud cum Officio et Missa in prædicta sua Archidiœcesi amodo celebrari valeat Dominica tertia Novembbris. Sanctitas vero Sua, referente S. Rituum Congregationis Secretario, attentis expositis, de speciali gratia precibus annuere dignata est, ita ut, retentis die XIII Augusti Officio et Missa jam concessis pro Archidiœcesi prædicta, Dominica, quæ in mense Novembri tertia occurrit, extrinseca Solemnitas in præfati Beati honorem institui possit, cum omnibus Missis de eodem propriis; dummodo non occurrat duplex primæ classis quoad Missam solemnem, et duplex etiam secundæ classis quoad lectas. Servatis Rubricis, ac sub lege, quod in Ecclesiis Choro adstrictis, et in parochialibus, non omittatur Missa vel conventualis vel parochialis, Officio diei respondens. Contrariis non obstantibus quibuscumque. » (Indultum 20 Septembbris 1866.)

Quod concessum fuit pro Beato Joanne Berchmans, concessum et remanet, postquam Leo XIII, anno 1888, quinquagesimo sui Sacerdotii anno absoluto, Sanctorum honores eidem solemniter decrevit.

Q. 290. Indica, ex tenore Indulti concessi, in quibusnam casibus non poterit, in quibusnam vero poterit, celebrari Missa de S. Joanne Berchmans, in Dominica III Novembbris.

R. 1º In omnibus Ecclesiis Choro adstrictis, et paro-

De Solemnitate S. Joannis Berchmans (Q. 291) 271

chialibus, debet Missa conventionalis et parochialis conformis esse Officio hac Dominica occurrenti.

2º Si Festum duplex 1 classis occurrat Dominica III Novembbris, nulla Missa potest de Sancto Joanne celebrari.

Præterquam quod hujusmodi occurrentia possit obstare celebrationi Missæ Votivæ, in particularibus Ecclesiis, ratione Festi, tum Patroni loci, tum Tituli Ecclesiæ; aliquando pro tota Diœcesi etiam obstat, quominus Missa Votiva hæc celebretur; nempe quoties Littera Dominicinalis alicujus anni est D; etenim tunc Festum Omnia Sanctorum celebratur Dominica I Novembbris, ejusque dies Octava Dominicæ II Novembbris; cum autem Anniversarium omnium Ecclesiarum Archidiœcessis in cumulo celebretur, vi Decreti S. Rituum Congregationis, 1 Septembbris 1838, ritu duplice 1 classis, in Dominica quæ prima occurrit post Octavam Omnia Sanctorum, data Littera Dominicali D, celebrandum erit Dominica III Novembbris; unde in tali casu cuicunque Missæ Votivæ in honorem S. Joannis Berchmans non datur locus. Hac de causa, omissa fuit anno 1896; omitteturque iterum annis 1903, etc., quoties Littera Dominicinalis erit D.

3º Si occurrat Festum duplex 2 classis, Missa solemnis quidem potest de S. Joanne celebrari; omnes autem Missæ lectæ debent dici de Festo duplice 2 classis occurrente.

4º Præter casus supra exceptos possunt omnes Missæ, tum solemnes, tum privatæ, in hac Dominica III Novembbris, celebrari propriae de S. Joanne.

Q. 291. Quomodo ordinanda est hæc Missa solemnitatis in honorem S. Joannis Berchmans?

R. Prænotatur 1º, quod ex supplicatione, qua postulabatur ut Festum B. Joannis posset hac Dominica celebrari cum Officio et Missa, et ex tenore concessionis, qua conceditur extrinseca solemnitas cum Missis propriis de B. Joanne, videtur concludendum Missas de S. Joanne posse celebrari ut in ejus Festo. Conceditur Solemnitas, quam quidem vocat S. Rituum Congregatio extrinseca; attamen, patet quod vox extrinseca hic non significet solemnitatem cantus, thuris, ministrorum, cum et omnes Missæ lectæ, quæ solemnitatem nullam important, possint de S. Joanne celebrari; Solemnitas vero, saltem in præsenti casu, importat Mis-

sam dictam ut in Festo, quasi si Festum hac die, scilicet in hac Dominica III Novembbris celebraretur; dicitur autem extrinseca, quia Missæ non correspondent Officio hoc die occurrenti, seu sunt Votivæ.

Et plus quidem, sub aliquo respectu, hic conceditur, quam in Solemnitatibus quatuor Festorum, de quibus agitur in parte II hujus § 3 (QQ. 268 ad 277); quia ibi una tantum Missa solemnis cantari debet: præsens autem Solemnitas admittit, omnes Missas, non solas solemnies, sed etiam privatas posse celebrari de S. Joanne, quasi si ejus Festum hac die celebraretur.

Prænotatur 2º, quoad Commemorationes in hac Solemnitatis Missa faciendas, plura esse S. Rituum Congregationis Decreta, in quibus agitur de Commemorationibus faciendis in Missis quæ celebrantur, vi specialis privilegii a S. Sede obtenti, ut in die Festo, de Sancto, in die non propria, et occurrente hac die non propria alio Officio proprio.

In Missis privatis hujusmodi Commemorationes Officii diei et aliorum occurrentium certo dici debent. (Decret. 7 Augusti 1875, n. 3365, antiq. 5622, ad 4.)

Pro Missis solemnibus respondit S. Congregatio servandas esse Rubricas quoad Commemorationes (Decret. 20 Julii 1894, n. 3833, ad 2); sed proposito iterum eodem hac super re dubio, supradictum responsum explicavit, rescribens ut servetur Decretum 20 Julii 1894, « scilicet, Commemoratio Officii occurrentis omittatur in Missa solemnii, fiat in lectis. » (Decret. 17 Julii 1900, ad 4; cfr. Ephemerides Liturgicæ, XIV, 1900, pag. 537.)

Si ita jam se res habet, statui potest pro Missa solemnii S. Joannis Berchmans in casu, id quod præscriptum fuit pro Missis Solemnitatum (cfr. Q. 271, 3º), nempe: In Missa solemnii dicitur una tantum Oratio, et Commemorationes occurrentium Officiorum diei omittuntur, excepto quod dicitur Commemoratio occurrentis Dominicæ, sub distincta conclusione.

His prænotatis respondet: Missa S. Joannis Berchmans dicitur propria, ut in ejus Festo, 13 Augusti; — in omnibus Missis dicitur Hymnus *Gloria*; — in Missa solemniter aut in cantu celebrata dicitur, sub distincta conclusione, sola Commemoratio Dominicæ;

in Missis privatis vero dicuntur Commemorationes: Officii in hac tertia Dominica Novembbris regulariter occurrentis, nempe Octavæ diei Dediicationis omnium Ecclesiarum Dioecesis, deinde Festi duplicitis minoris simplificati si occurrat, tum Dominicæ, dein Festi semiduplicis simplificati si occurrat, ac tandem Festi simplicis si occurrat; — ratione Dominicæ dicitur Symbolum *Credo*; — Præfatio, nisi dicenda sit propria ratione alicujus Octavæ, dicitur SS. Trinitatis; — in fine dicitur Evangelium Dominicæ. — De Oratione imperata decrevit S. Rituum Congregatio in casu a nostro non ita dispari, quod ipsa poterit ad libitum Celebrantis legi, vel omitti, in Missis privatis, omittenda vero erit in Missis solemnibus, aut cantatis. (Decret. 15 Maii 1819, n. 2597, antiq. 4560, ad 2.)

NOTA. Hujusmodi privilegia Solemnitatum particularium non sunt adeo rara, et facile a S. Sede impetrantur.

Et hic placet notare, quod S. Rituum Congregatio permisit quidem Reverendissimis locorum Ordinariis, ut ipsi designent diem ad recolendam Solemnitatem externam pro duobus Festis, nempe SS. Cordis Jesu, et S. Aloysii Gonzagæ. Sufficiat hic de utraque hac Solemnitate aliquid indicasse.

1º Festi Sacratissimi Cordis Jesu externa Solemnitas in aliud diem a Rmis Ordinariis locorum designatam potest in unoquoque anno transferri, etiam cum privilegio celebrationis Missæ propriæ de ipsomet SS Corde Jesu; hoc autem privilegium excluditur, quoad Missam solemnem a duplicitibus 1 classis, et a Dominicis privilegiatis item 1 classis, et quoad Missas lectas etiam a duplicitibus 2 classis, necnon a Dominicis, Feriis, Vigiliis Octavisque privilegiatis: non omittenda est tamen Missa Conventualis vel Parochialis Officio diei respondens, ubi eam celebrandi adsit obligatio. (Cfr. Decret. 23 Julii 1897, n. 3960.) In ipso Decreto rationes et conditiones hujus Solemnitatis longius exponuntur.

2º In S. Aloysii Gonzagæ, Confessoris, Solemnitatis die ab Ordinariis designata, omnes Missæ propriæ de S. Aloysio celebrari possunt, dummodo non occurrant duplex 1 classis, aut Dominicæ privilegiata 1 classis, quoad Missam solemnem; aut etiam duplex 2 classis, necnon Dominicæ, Feria, Vigilia, Octavaque privilegiata quoad Missas lectas; neque omittatur Missa Conventualis vel Parochialis Officio diei respondens, ubi eam celebrandi adsit onus. (Cfr. Decret. 27 Junii 1896, n. 3918.) Rationes et conditiones hujus Solemnitatis longius describuntur in ipso Decreto. (Cfr. etiam Ephemerides Liturgicæ, XI, 1897, pag. 513 et sqq.)

VII. De Missa Votiva de Sacro Corde Jesu quæ celebrari potest in Feria sexta, quæ prima in unoquoque mense occurrit

Q. 292. Quodnam Indultum concessum fuit a Leone XIII, pro Feria sexta quæ prima unoquoque in mense occurrit?

R. Ad fidelium pietatem erga SS. Cor Jesu impensis fovendam, « in iis Ecclesiis et Oratoriis, ubi Feria sexta, quæ prima unoquoque in mense occurrit, peculiaria exercitia in honorem Divini Cordis, approbante loci Ordinario, mane peragentur, Beatissimus Pater Leo XIII indulsit, ut hisce exercitiis addi valeat Missa Votiva de Sacro Corde Jesu; dummodo in illam diem non incidat aliquod Festum Domini, aut duplex primæ classis, vel Feria, Vigilia, Octava ex privilegiatis; de cætero servatis rubricis. » (Decretum S. Rituum Congregationis, 28 Junii 1889, n. 3712.)

Plura occurrunt animadvertenda in hoc Indulto, quæ in sequentibus Quæstionibus exponuntur.

Q. 293. Ubinam potest hæc Missa Votiva celebrari? Quo ritu est celebranda? An requiritur solemnitas extrinseca?

R. I. Missa hæc celebrari potest in Ecclesiis et Oratoriis; cumque in Indulto nulla fiat Oratoria publica inter et privata distinctio, lato sensu, haud strictiori, Indultum est accipiendum; itaque etiam in Oratoriis semipublicis et privatis eam posse celebrari dicendum est. In singulis Ecclesiis autem et Oratoriis unicam tantum indulgeri hujusmodi Missam Votivam, piis exercitiis additam, ex tenore Indulti ejusque mente patet.

II. Ex privilegiis huic Missæ concessis clarum est, ipsam eodem ritu esse celebrandam, quo Missa Votiva solemnis pro re gravi, vel publica Ecclesiæ causa; — itaque dicitur *Gloria*, et *Credo*; — et unica tantum ipsius Missæ Oratio, omissis Commemorationibus qui buscumque, uti declaravit S. Rituum Congregatio (Decret. 20 Maii 1890, n. 3731, ad 1); in fine dicitur semper Initium Evangelii S. Joannis.

De formulari Missæ Votivæ de Sacro Corde Jesu dicitur Q. 228.

III. Missa hæc non est necessario cum solemnitate extrinseca celebranda; sed potest celebrari vel solemnis, vel cantata, vel etiam privata; etenim Indultum non distinguit. — Quod comprobatur sequenti S. Rituum Congregationis Decreto: Ad dubium: « An hæc verba « Missa Votiva Sacratissimi Cordis Jesu, ritu Missæ Votivæ solemnis celebranda » intelligi queant etiam de Missa lecta, seu sine cantu? » S. Congregatio rescribendum censuit: « Affirmative ». (Decret. 20 Maii 1892, n. 3773.)

Q. 294. Quænam Officia obstant celebrationi hujus Missæ Votivæ?

R. Celebrationi Missæ Votivæ de Sacro Corde Jesu, in Feria VI prima cuiusvis mensis, obstant Officia sequentia: 1º Festa duplicita 1 classis tantum; valde privilegiata jam est hæc Missa quæ permittitur in Festis duplicitibus 2 classis; quo patescit piissimi Pontificis desiderium ut in SS. Cor Jesu devotio universi Cleri fidelisque populi augeatur in dies. (Ephemerides liturgicæ, III, 1889, pag. 448.)

2º Festa Domini generatim indicantur in Indulto tamquam impedientia Missam Votivam de Sacro Corde Jesu; unde dicendum, ea omnia impedire, quæcumque sit eorum classis. Igitur in Circumcisione Domini, non licebit Missam Votivam celebrare; — idem est dicendum pro Officiis Passionis, vel Instrumentorum Passionis Domini, quæ occurrunt in Feriis sextis Quadragesimæ, ibi concessa fuerunt (cfr. Ephemerides Liturgicæ, XIV, 1900, pag. 178, et Nouvelle Revue théologique, XXIV, 1892, pag. 215); — necnon pro Festis Inventonis S. Crucis, 3 Maii; et Transfigurationis Domini, 6 Augusti. — Nuperime, ad dubium: « Utrum eadem Missa dici possit in Festo Purificationis B. Mariæ V., cum hoc Festum incidit in supradictam Feriam VI? » S. Rituum Congregatio respondendum censuit: « Negative, attento mysterio, ob quod Festum Purificationis B. Mariæ V. æquiperatur Festo Domini. » (Decret. 27 Martii 1902, ad 3; cfr. Ephemerides Liturgicæ, XVI, 1902, pag. 291.)

Non quidem versantur hæc omnia in eodem Mysterio.